



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Variorum In Europa Itinerum Deliciae

Chyträus, Nathan

[Herborn], 1599

VD16 C 2803

Vratislaviana.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)



W O R M A T I A E.

A D C U R I A M.

V Angiones quondam cum Cesare conflictarunt,
Jam tibi perpetua Caesar pietate coherent.

A M B E R G A E.

I N T E M P L O M O N A S T E R I I.

Wolfgangus Haller á Raitenbuech & Amerthal, Divis
Carolo Quinto, Ferdinando & Maximiliano secundo
R R R. Imppp. nec non Dn. Friderico I I I & Ludovi-
co patri & filio Comitibus Palatinis Rheni Electori-
bus, &c. & Dn. Joanni Casimiro Comiti Palatino
Rheni, &c. tutori & administratori Palatinatus Ele-
ctoralis á secretis & consiliis. positus hic carnis & in ea
hærentis peccati mortalibus exuviis,

Expecto resurrectionem mortuorum, & vitam in cælo
sempiternam per Christum Jesum Dominum nostrum,
qui constitutus est á Deo iudex vivorum & mortuorum.
Quo cum ut post mortem æternum beatus viverem, vixi
semper ut moriturus. An. Christi M. D. X C I.



V R A T I S L A V I A N A.

I N E L I S A B E T H Æ.

A N N Æ, E T A N N Æ - M A R I Æ
filiabus dulciss.

*V*os etiam ignotas mundo, sed sanguine mundas
Christi, commendat cura paterna piis.

Imperio

*Imperio mortis superato, vivite Christo,
Et capite aeterna gaudia letitia.
Me quoq; qui senio propior properantibus ad vos
Cursibus advento, sua violo excipite.
Vivemus, spes hac jubet hinc discedere latos.
Non moritur massa portio Christe tua.*

JOHAN. CRATO VRATIS. IMPP. D. FERDINANDI I. ET D. MAXIMILIANI II. AUGG. CÆSS. P. F. MEDICUS PHYSIC. D. MÖESTISS. P. AN. M. D. LXVII.

Anno Domini M. D. XXIX. nocte prox. sequ. diem Divi Matthiæ hora circiter II.

Sculpebat Bonavent. Roesler, Ampliff. Sen. Vrat. á manibus scriba: litoq; auro, inductis coloribus, & parergis cæteris pictis fictisque exornabat. Anno M. D. LVI. anté pauló quám é vita discederet.

ALIUD.

D. O. M. S.

MIRABILIS IN ALTIS DOMINUS.

*Collapsa est turris Siloë madefacta cruore,
Pyramide hac nostra nemo cadente perit.
Nam jussu Domini exceptam (cui gloria soli)
Angelica molem deposuere manus.*

Ambrosii Moibani D.

IBIDEM.

Anno 1529. am abend Matthiæ Apostoli, vmb 8 zais gers zwen der ganzen vhr zu nacht/ ist das bleyene dach des Kirchthurms allhie samt dem gehültz/ knopf/ spill vnd creuz biß an den vmbgang oder krantz/ in alles 119. ellen hoch/ durch vngestümigkeit des wetters abgefallen/ durch welchen fall vnd grosse last doch niemanden einiger schade oder gefahr zugestanden. Gott sey lob vnd danck für seine wunderthätige barmherzigkeit in ewigkeit/ Amen.

V V

ALIUD.

Clariss Dn. Johannes Metzeler, U. J. D. Consularis ordinis in hac Rep. senior collega, vir prudens, fidelis, & in utriusq; orationis facultate, Latinæ scilicet & Græcæ, celebris & doctiss. Obiit anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo octavo, secunda Octobris.

ALIUD.

Christophoro Craft, civi honesto, qui supra LXXVII. annum in hac Repub. vixit: & Annæ Bidermanæ, parentibus chariss. P. E.

*Hic mihi perpetua chari pietate parentes
Christophorus genitor, mater & Anna, jacent.
Ad tumulum quorum meriti memor, hoc loco saxum.
Christo animas junctas lat or adesse Deo.
Magna dies Domini renovati corporis usum,
Et dabit his vita gaudia parva FIDE.*

Johannes Crato art. Med. D. F. P. C.
Anno M. D. LVII.

MAGDALENÆ KROMAYRINÆ, UXORIS
Bartholomæi Metelli, Episcopi Vratislaviensis Cancellarii.

*Magdalis hic somnum conjux tua carpo, Metelle,
Corpore, mens supera vivit in arce Deo.
Nos ibi lata dies longum conjunget in ævum,
Et sine tristitia gaudia plena dabit,
Tempora cum mundi calo nos summa reducent,
O desiderio tempora tarda meo!
Interea vidui dum perfers tadia lecti,
Ut mihi cura tui, sit tibi cura mei.*

Christus flagellatus hominem alloquitur.
*O miser, ô vermis, qua gestem insignia cerne,
De spinis factum est en diadema mihi.
Et latro liber abit, cum me sententia damnet,
Pro multis unus victima cador ego.*

Disce

*Disce meo exemplo, dulcis genitricis acerbo
Luctu, cur patiar discito tanta, mea.*

σάβωσις.

*In cruce vita perit: mage quod mirabere dicam,
Mors moritur, mortem mortua vita vorat.*

In horologio 1517.

*Aspice quám celeri cursu levis effugit hora,
Lubrica nec vita tempora perde tua.
Diffugiunt anni celeres, letumq; minantur.
Mortuus ut possis vivere, vive bene.*

Maria ulnis tenens Christum mortuum.

*Autor eras vita, nunc es lacrymabile funus
Rursus & ex illo funere vita venit.*

In ædibus D. Eustathii á Knobelsdorf, Decani Vra-
tisl. viri & poëtæ clariss.

*Dum videt Actæon Dryades, sine veste Dianam,
Fit fera: vultus ei qui fuit anté, perit,
Suppliciumq; luit laceris miserabile membris,
Objectus canibus prada cruenta suis.
Ergo puellares quantum potes effuge vultus,
Ne sis Tartarei flebilis esca canis.*

Actæon laceratur.

*Actæon ego sum, miser ingeminare volebat,
At celeres trepidum corripuere canes.
Pœnituit vidisse Deas, vidisse Dianam;
Sera sed hac misero tum metancea fuit.
Nunc geme, nunc ora, lacrymis tua crimina dele.
Post cineres nihil est flere, dolere, queri.*

In fastigio ædium.

*Nil habet incertus nisi certa pericula mundus.
Fide Deo: Christi munere tutus eris.*

Vel sic.

*Una salus pueraſcenti nil fidere mundo,
Æthereum caſta quarere mente DEUM.*

In crucifixum.

*Ecce redemptorem, qui debita ſolvit Adami,
In cruce dum pro te mite pependit onus.
Utq; pater vetita decerpſit ab arbore mortem;
Sic vitam é ligno Chriſtus & ipſe dedit.*

Nicolaus Weidner D.D.H.E.C.C.L.

Can. adfixit. Anno 1540.

IN SAXO TUMULI.

LXVI. ætatis annum agens obiit Saurus. Dimidium autem, vel eo etiam minus, an vixerit, mortuus etiamnum addubitat. M. D. XXXV. die XX I. menſ. Jan.

Chriſtus paſſus alloquitur hominem.

*Adſpice mortalis, fuit unquam paſſio talis?
Peccatum ſperne, pro quo mea vulnera cerne.
Adſpice qui transis, quia tu mihi cauſa doloris.*

IN SCHOLA NOVA ELISABETHANA.

OPT. & graviff. quiſq; confiterur ſe multa ignorare, & multa ſibi etiam eſſe diſcenda.

Tum judicant homines, ubi jam pœnitet.

Frangas citiùs quàm corrigas, quæ in pravum induerunt.

IBIDEM.

DISCIPLINÆ SCHOLASTICÆ LEGES,
MARMORI INSCULPTÆ.

Lex eſt, cui omnes homines decet obedire.

MARTIAN. L. II. FF. DE LL.

LEX I.

Inprimis adoleſcentes pietatis ſint ſtudioſi, certoq; ſciant,

ant, sine divini numinis invocatione nihil se in studiis diligentia sua promoturos.

II.

Cæterum ante præceptorum adventum discipuli hora constituta præstó adsint omnes. tarditas pro dimidia absentia habeatur.

III.

Venientes præceptores reverenter excipiant, abeuntes honore prosequantur.

IV.

Præsentibus illis consilescant omnes: absentibus ne persisteant.

V.

Arma scholastica cuncti præparata semper in promptu habeant, ut dictata facile & celeriter excipiant.

VI.

Inter prælegendum nemo garriat, sed sit attentus lectioni.

VII.

Lectioes veró suas singuli assidue meditentur.

VIII.

Semper & ubiq; loquantur Latine, idq; operam dent, ut & emendate & sine vitio loqui discant.

IX.

Ex schola sine concessu præceptoris neque exeat quisquam, neque absit.

X.

Dimissi veró simul templum ingrediantur omnes: atque ibi nemo rideat: nemo temere circumspiciat: aut aliis incompositis gestibus conspiciatur: quin potius assistentes libro cantent attenté: minores quieté & tacité expectent: nec quisquam inde exeat, nisi impetrata venia ab aliquo præceptore: in quorum numero & cantor & aliqui hypodidascali & synergii sunt habendi: hymno veró finito domum se quisq; placidé recipiat.

XI.

Per plateas, forum, vicos aut urbis compita nemo clamabundus aut citra necessitatem oberret, sursúmve ac deorsum cursitet.

XII.

Obviis sacerdotibus, magistratibus, senatoribus, civibus, cæterisq; viris gravibus, matronis primariis, item & virginibus, honorem debitum exhibeant.

XIII.

Nunquam mentiantur: nemini maledicant; jurgia & similitates vident.

XIV.

Quod si quælis inter pueros oriatur, ad præceptores referant protinus, ne adolescat.

XV.

Impudica & obscæna nemo neq; dicat, neque faciat.

XVI.

In fluminibus, stagnis, lacubus (quia periculosum est) nemo lavaturus immergatur.

XVII.

Pexi, loti, compti sint, cum domo egrediuntur, vestituq; non lascivo quidem, sed decenti ac honesto ornati.

XVIII.

Epistolas & styli exercitationes non oscitanter aut perfunctorie, sed accurato studio & diligentia curent: de quæ eo in omnes partes solliciti sint, ut quæ scribunt a vernaculæ linguæ barbarie remota sint, & ad Ciceronis, Terentii &c. perspicuitatem, copiam, elegantiam quam proximè accedant, sintque præceptorum iudicio & comprobatione non indigna. Negligenter verò scripta pro non scriptis habeant.

XIX.

In summa, honestatem & studia cuncti juvenes scholæ nostræ, idque de mandato ampliff. Senatus, diligenter colant: ut amabiles sint & gratiosi apud omnes, morum commoditate perficiant: ne corripiantur merito, caveant: & virtutis ac pietatis laudem ut emereantur, strenuè seduloq; contendant.

 LEGUM FUSIOR EXPLANATIO.

Quæ ad pietatem. CAP. I.

Decalogi totius præcepta frequenter ac religiosè evolvuntur.

vunt. 2. Divino nomine ne abutuntor. 3. Ne jurant. 4. Ne mentiuntor. 5. Ne maledicunt.

In templo. C A P. II.

Dominicis festisq; diebus maturé adsunt. 2. Lectionem Evangelii & Catecheseos ne negligunt. 3. Templum ingrediēdo & exeundo strepitus vitant. 4. Stando & sedendo modesti sunt. 5. Orant, non vorant. 6. Concionem sacram attenti auscultant.

In Præceptores. C A P. III.

Eos officiosé observant. 2. Docentes auscultant. 3. Nulli eorum refragant, aut responsant. 4. Jussa diligenter exeunt. 5. Illorum neminem irrident. 6. Didactron fideliter numerant. 7. Et quidquid contra Decalogi quartum præceptum esse noverint, nullo tempore admittunt.

Decorum in schola. C A P. IV.

Inter prælegendum non aliud agunt. 2. Murmura, strepitus, confabulationes, soporem, vitant. 3. Exposituri aut recitaturi, attenté, articulaté, distincté, verecundé loquunt. 4. Evocato aut absente Præceptore, in officio manent. 5. In ædificiis scholæ nihil frangunt, neque conscindunt. 6. Fracta, rupta, vitiata, reus suis sumptibus reparato, pœnasq; culpæ & levitatis dato. 7. Parietes nec carbonibus, nec miniato lapide pingunt, aut modo alio quovis contaminant. 8. Libros resq; alias suas diligenter custodiunt, alienas veró minime avertunt.

Extra scholam. C A P. V.

Virtutes & mores boni in plateis debito cum decore ubiq; elucet. 2. Dicta, audita & á præceptoribus tradita domi sollicité repetunt. 3. Epistolas & alia non perfunctorié componunt.

In funere. C A P. VI.

Quo ordine in classibus sunt collocati, foris procedunt. 2. Vestitu, gestu, incessu, concentu, modestiam & verecundiam summa diligentia conservant.

Decurionum officia. C A P. VII.

Pueros suæ decuriæ diligenter audiunt. 2. Segnes & confabulantes notant & ad præceptores deferunt, idq; fideliter exsequuntur.

Custodum officia. C A P. VIII.

Immodestos in scholis, templo, funerum curatione attentè observant. 2. Ferulas præceptoribus præbent. 3. Ut ordine & modestè dimissi è schola templum ingre-
diantur curant. 4. In comitatu funerum evagantes in ordinem cogunt.

Padagogorum officia. C A P. IX.

Ut pueros suæ fidei commissos fideliter instituunt, diligenter ipsi discunt. 2. Curam eorum omnibus locis agunt. 3. Pietatem, artes, moresq; bonos docent, in iisque præstandis ipsi præeunt. 4. Domi se, nocte præcipuè (cùm intempestiva absentia malè perpetrati facinoris suspicione rarò careat) continent. 5. A tabernis meritoriis, cœnoliis, orchestris, lustrisq; ferarum abstinunt. 6. Seduli in officio sunt. 7. Ne divagantur, ne deambulando. 8. Cum familia ne rixantur, ne tumultus excitant. 9. Ne mandatis heri refragantur. 10. Ne longiùs quàm permissum est evagantur. 11. Domo, nisi de voluntate heri, ne absunt.

Peregrinorum officia. C A P. X.

Negotium suum tranquillè agunt. 2. In instituen-
di ratione judicanda nihil sibi assumunt. 3. Hospites se, non cives, esse cogitant. 4. Liberalitate senatus ne abutuntur. 5. Mercedem præceptoribus debitam sine mora & detrimento curant. 6. Discessuri memorem gratumq; animum cum privatim, tum in scholis publicè testatum omnibus faciunt.

Discentium officia. C A P. XI.

Per te discendi cupidus esto, percipiendiq; voluntatem, amorem atque ardorem potius tecum ipse adferens. cur in hoc virtutis ac disciplinæ honestiss. domicilio versè, etiam atque etiam meditare: quamq; turpiter facturus sis,

rus sis, si quam nactus es Spartam, desidiâ & negligentia tua amiseris, cogita: atque ea de re nec querendi, nec audiendi, nec disputandi occasionem ullam, aut quidquid studiis tuis accommodatum esse judicaris, prætermittendum ducas.

OEconomî opera. CAP. XII.

Operas quotidianas diligenter exsequitor. 2. Pavimenta verrito. 3. Calfacito. 4. Ignē custodito. 5. Ludum claudito, recludito. 6. Signum attemperatē dato. 7. Ignem tecto inferri ne permittito. 8. Parietes inquinari ne patiare. 9. Tabulas ac specularia integra conservato. 10. Ociosos ac petulantes ex vicinia pueros coerceto. 11. Nihil deniq; quod imperatum fuerit recusato.

Præceptores. Appendix.

Nihil magnopere attinet, ac ferè ἀπεροσίουσιν videtur eos officii admonere, cūm vocationis suæ memores sint, cujus rationem non præsentibus tantūm procuratoribus, sed Deo ipsi vindici æterno probare debeant. Mercedem verò non in hac solūm exigua vita; sed in perpetua illa felicitate etiam ab eodem liberalissimo remuneratore cumulatē sibi expectand. esse sciant, idq; sacr. lit. testimonio persuasum habeant.


*Faciebat Bonaventura Roslerus, Ampliss. Senatus
Vratisl. Scriba, Anno salutis supra sesquimil-
lesimum tertio & sexagesimo: ætatis s. eodem.
XIV. Cal. Mar. Qui quidem Bonaventura fe-
cit & fuit quod potuit: vixit dum licuit: mor-
tuus est cūm Domino placuit.*

OFFICII SCHOLASTICI
compendium.

Ora. Obtempera. Tace. Audi. Disce. Repete. Exerce. Pa-
tere.

IN ÆDIBUS CUIUSDAM
Canonici.

Meditatio ex mente nunquam seponenda.



IN FORO.

INGRATIS SERVIRE NEFAS.
Nil admirari beatum fecit.
Se nosse maximum.

INSCRIPTIO MUSÆI MONAVIANI.

Domino Deo nostro Jesu Christo, unico regni sancto-
rum hæredi: perenni vitæ fonti: triumphantis mor-
tis victori: æterno beatarum animarū hospiti, Sacr.

Summa in his terris tum sapiëntia, tum felicitas est, pos-
se quiescere, ac sua potius agere & propria, quàm aliena.
Deinde utraq; fortuna, & sive sit agendū, sive patiendum,
in DEUM potius, quàm in homines respicere, & ab eo so-
lo pendere. Mortem deniq; suam perpetuó sic meditari,
ut pec-

ut peccatum potius fugiatur, quàm illa nimis metuatur. Mundum præterea, quæq; sunt illius, despiciere simul & odisse. De vita perpetua magis, quàm de hac fragili & caduca sollicitum esse: animæq; curam gerere majorē, quàm corporis, & ita sese comparare, ut anima prius læta libensque hinc in cælos evolare cupiat, quàm e tabernaculo suo evocetur.

M. R. V.

PSAL. XC. *Domine doce nos scire numerum dierum nostrorum: ut ambulemus corde sapiente.*

Θυμὲ βλάψον ἄνω: χθονίων δ' ἐπιλήθεο πάντων.

IPSE FACIET.

ALIUD.

Johanni Aurifabro Vratisl. S. Theol. D. & Ecclesiæ hujus pastori, Academiarum Witteb. & Rostoch. quondam Professore, ante reditum verò in patriam Samlandiæ, Pomeraniæq; in Borussia per plures annos præfidi, viro, puræ religionis studio, & totius Philos. in primis verò Mathes. ac lingg. præcip. cognitione cl. vita in his terris annos LII. M. VII. dies XVII. honestè ac laudabiliter acta, An. verò M. D. LXVIII. die M. Octobr. XI. X. superstite cōjuge Sara, Joh. Hessi Theol. Doct. filia, quæ quadriennio post, relictis IIII. filiis, & II. filiabus diem suum obiit, feliciter & sanctè mortuo, Laurentius Scholzius Vratisl. Phil. & Med. Doct. socero & socru opt. hic conditis, officiosæ pietatis ergò P. M. D. XC.

In memoria æterna erit justus.

IN SUBURBIO AD TEMPLI
Cathedralis valvas.

*Quas sacras ades pietas construxit avorum,
Has nunc hæredes invadunt more luporum.*

ITEM.

*Defunctis patribus successit prava juventus,
Cujus consilio quæ valere ruunt.*

X ij

IN SCHOLA MAGDALANÆA,
quæ cœpit anno 1293.

In inferiori auditorio supra januam.

Quærite primûm regnum Dei, &c.

Suche Gottes reich vor allen dingen!

So wird dir alles wol gelingen!

Suchest du ein andern anfang!

So gehet dein thun den krebsgang.

IN ÆDIBUS JOHANNIS CRATO-
nis medici Cæsarei.

*Tu quoq; fac timeas, & qua tibi lata videntur,
Dum legis hac, fieri tristia posse putes.*

Supra januam cubiculi.

Optimo maximo servatori omnium, uni in trinitate
DEO, Joan. Crato artis Medicæ D. se suaq; omnia piis vo-
tis commendans S. M. D. LXXII.

In inferiori hypocausto.

Quid sis, quid fueris, quid eris, semper mediteris.

In mensa quam accepit à Cæsare.

In hac mensa Divus FERDINANDUS Imp. Aug. P. F.
pacificus, priusquam lethalis morbus lecto opt. & beatiff.
principem affligeret, multis mensibus cibum sumpsit,
Imp. veró Maximilianus II. F. Aug. perp. cûm in medita-
tionibus salutaribus versaretur, sua manu sententias ple-
nas pietatis & humanitatis inscripsit. Has posteris saluta-
res, Crato sacratissimorum Imperatorum Medicus, ne
hanc tabulam qua usos atque sustentatos divinos Monar-
chas intelligunt, tanquam vile lignum haberent, studio
ac diligentia sua conservavit.

*Dicta autem à Maximiliano scripta ibidem conspiciun-
tur hac. 1561.*

Dominus providebit.

Maximilianus.

Si DEUS pro nobis, quis contra nos?

Audi, vide, tace, si vis vivere in pace.

Vanitas vanitatum & omnia vanitas.

Dominus dedit, Dominus abstulit,
Sicuti Domino placuit ita factum est;
Sit nomen Domini benedictum.

Si bona suscepimus de manu Domini;
Mala autem quare non sustineamus?

Si vitam inspicias hominum, si denique mores,
Cum culpent alios, nemo sine crimine vivit.

Omnia si perdas, famam servare memento;
Præfer autem salutem animæ; reliqua vanitas.
Nam omnia prætereunt, præter amare DEUM.


Frustra colunt me docentes mandata hominum.

D N. BALTHASARIS EPISCOPI
Vratislaviensis.

Reverendiss. Princeps & Dn. Dominus Balthasar ex clarissima Promniciorum familia, domus Lessendorf, Glogoviensis ducatus, vir singularis ingenii, magni consilii, & raræ eloquentiæ, in rebus agendis strenuus & vigilantiss. prudentia ornatissimus, & labascentis religionis protector, concordiæ & pacis amantissimus, flagrante bello intestino sub Carolo V. Imperatore singulari industria patriam a seditione, inter ignobile vulgus jam gliscente, liberavit. Officio Capitaneatus a Cæsare Ferdinando tum commisso, principibus & heroibus ob miram comitatem pergratus. in religiosos & pauperes liberalis, consanguineorum quoque haud immemor. Erga familiares benignus, subditorum parens, & Episcopatus hujus aductor, eligitur anno Domini M. D. XXXIX. die XVII. Sept. Fuit

X iij

in gubernatione annos xxii. Moritur placidé, ingenti
piorum omniū luctu, correptus febricula quartana. Nif-
sæ xx. Januarii, Anno salutis M. D. Lxii. Hic sepultus,
ætatis suæ Lxxiv.



BUDISSINA.


BUDISSINÆ IN SUMMO TEMPLO.

Fidenti tua Christe capit qui munera corde,
Is duce te cali regna beatus adit.

Charissimis & dulcissimis parentibus Gregorio Peu-
cero patri; Otiliæ Simontæ matri: qui ex hac vita in cale-
stem & æternam pié & placidé commigrarunt: ille die vi-
cesimaquinta Februarii anno M. D. Lx; hæc die quinta
Maji, anno M. D. Lx. Caspar Peucerus filius, Philosophiæ
& artis Medicæ Doct. hoc monumentum posuit, 1561.

IN SCHOLA.

*Prima bona mentis sit cura, sit altera morum,
Tertia litterulas perdidicisse bonas.
Quæ virtute caret, non est doctrina putanda;
Et Christum ignorans, bellua totus homo est.*



GORLICENSIA.

SUB VETUSTA CRUCE.

Aspice serve Dei, sic me posuere Judai.
Aspice devoté, quoniam sic pendeo pro te;
Aspice mortalis, pro te datur hostia talis.
Introitum vitæ reddo tibi, redde mihi te.

In cruce